



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Conclusio negativa statuitur, & autoritate Concilii Francofordiensis
fulcitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

lus, excepto Photino, filiationem adoptivam in Christo admisit. In secundo eam in Christo posuerunt, ut infra ostendemus, Elipandus Archiepiscopus Toletanus, & Felix Urgelitanus Episcopus, qui in Concilio Francofordiensi, auctoritate Adriani Pontificis, ex petitione Caroli magni congregato, damnati sunt. In tertio verò sensu, quidam ex Catholicis filiationem adoptivam in Christo admittunt; nimirum Durandus, Bassolis & Scorus, licet iste oppositum iudicet probabile. Illi sequuntur aliqui ex ejus Discipulis, quos refert & sequitur Franciscus del Castillo disp. 17 quæst. 1. part. 3. Alii autem Theologi, tam domestici, quam extranei, in nullo sensu filiationem adoptivam in Christo admittunt: imò plures ex illis oppositam sententiam, post Concilium Francofordiense, hæreticam esse existimant, & tres illos sensus à Concilio damnatos esse contendunt. Antequam concludamus, tria breviter hic præmittenda sunt.

Primum est, neminem posse sine ingenti temeritate, prædicti Concilii auctoritatem rejicere, um auctoritate Sedis Apostolicæ illud recognitum sit, & inter Concilia Ecclesiæ computatum, & Epistola Adriani ad Episcopos Hispaniæ, tanquam authentica approbata, & inter Decretales inserta.

3 Secundum est, quod Concilium hoc auctoritate hæreticorum per multa tempora lausit, postea diligentia Summi repertum fuit, & tertio tomio Conciliorum insertum: unde nec Durandus nec Scorus nec alii, qui ante illius Concilii inventionem, filiationem adoptivam in Christo docuerunt, censendi sunt in hæresim incidisse, quamvis his temporibus filiationem adoptivam in Christo, etiam in tertio sensu, admittere, tutum in fide non videatur, ut constabit ex dicendis §. sequenti.

4 Tertium est, Felicem & Elipandum verè Nestorianos fuisse (quidquid in contrarium dicat Vasquez) & in Christo multiplicasse personas, ac in sensu Nestoriano adoptionem in Christo admisisse. Patet id tum ex Epistola Concilii Francofordiensis, editionis Colonienfis pag. 153. columna 2. versus medium, ubi Patres Concilii alloquentes Felicem & Elipandum, sic ajunt: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata etiam & damnata est? Tum ex libro sacrotyllo, pag. 147. columna 1. ubi sic habetur: Non duo filii, ut (sicut illi errando existimant) adoptivus sit filius hominū, & sine adoptione filius Dei. Ubi clarè sensus Nestorii in Felice & Elipando damnatur.*

5 Addo quod in quæstionibus de facto, magis est historicis fidendum, quam levibus conjecturis historiographi omnes, qui Felice & Elipando hæresim descripserunt, illam Nestorianam fuisse asseverant. Ita enim asseverant Alcuinus Magister Caroli magni, lib. 3. de Trinitate cap. 4. Jonas Autellanus lib. 1. de cultu imaginum in principio, S. Antonius 2. parte historiæ titulo 14. cap. 1. Mariana lib. 7. de rebus Hispaniæ cap. 8. & Baronius tom. 9. anno 783.

Nec obstat quod Vasquez opponit in contrarium, nempe à Concilio Francofordiensi hæresim Elipandi & Felicis, novam appellari. Nam idè solum à Concilio nova appellatur, quia hæresim Nestorii jam mortuam & sepulchram, re novavit, & de novo suscitavit, ut constat ex libro sacrotyllo ejusdem Concilii, paginâ 148. columna 1. ubi sic dicitur: *Elipandum namque & Felicem, novos hostes Ecclesiæ, sed veterem faciem perfidia polutos, &c.*

A Non valet etiam alia conjectura, nempe quod Elipandus sua confessione, manifestè faceret videtur, filium hominis in Christo unam tantum personam esse: nam loquens de Filio Dei, esse hominem factum, crucifixum, mortuum, &c. Ex quo patet agnovisse per communicationem idem personam dici de Filio Dei quæ competunt Christo homini: hæc autem communio non stat sine unitate personæ. Et insuper addit hæc verba: *Gloriam meam alteri non dabo, homo enim me eademque Dei & hominis persona designaretur, ut carnis vestimento indutus, &c.* Quibus verbis patet fateri videtur, unam tantum in Christo esse personam.

B Non valet, inquam, hæc conjectura, nam Elipandus his verbis, non verè & sincere, sed dissimulè ac simulatè, unam in Christo personam significat, intelligens non unam per unionem personarum substantialem, sed per unionem moralem personam de Nestorio notavit D. Thomas 2. 2. art. 6. & nomine unitatis personæ utitur, deinde deciperet, eo modo quo Pelagius Concilii Palæstini sefellit, admittens occasionem gratiæ, sed nomine gratiæ intelligens deum creationis. Quod verò in hoc sensu Elipandus loqueretur, constat tum ex verbis Concilii, tantis Nestorii in dicere copulationem, quæ lipandus & Felix appellabant adoptionem, tum ex verbis illis quibus Elipandus utebatur ad unitatem istam explicandam, *De gloriæ autem, & carnis vestimento indutus*, quæ aperte indicant unitatem non substantialem, sed accidentalem.

§. II.

Conclusio negativa statuitur, & auctoritate Concilii Francofordiensis fulcitur.

Dico igitur: Christus ut homo, filius Dei obnoxius non est.

Probatur conclusio ex Concilio Francofordiensi, in quo Christus filius Dei adoptivus non esse multoties asseveratur: nam in Epistola Episcopos Hispaniæ, editionis Colonienfis pag. 149. columna 2. post initium, sic dicitur: *verus Deus, & verus filius, & si verus filius, nequaquam adoptivus, quia adoptivus, sicut in testamentis sancti Patris positum est, non vere natura est filius. Et pag. 152. columna secunda circa medium: Vnde personæ quæ est in Dei Filio, & filio Virginis, adoptionis velut injuriæ. Et pagina 153. columna secunda circa initium: Adoptivus siquidem non habet aliam glorificationem, nisi ut Iesus Christus non sit proprius filius Dei: Ergo ex mente Concilii asseverandum est, Christum ut hominē, Filium Dei adoptivum non esse.*

E Respondent primò Adversarij, Concilium non negare adoptionem in Christo, ratione nature humanæ, sed tantum ratione suppositi creati, seu adoptionē multiplicantem in Christo personas: mens enim Concilii (inquunt) ex opposito errore quem damnat venanda est: Felicitatem & Elipandum, quos ibi damnat Concilium in sensu Nestoriano Christum esse filium Dei adoptivum asseverant, nempe adoptione purâ, ratione filiationis naturali incommensibili subinde personarum in Christo multiplicante: Ergo Concilium hunc tantum modum adoptionis in Christo excludit, non autem adoptionē ratione nature humanæ in Christo cum unitate personæ comparatam.

Secundò respondent, non definià Concilio, Christum secundum humanitatem, vel Christum ut hominem, filium adoptivum non esse, sed quod Christus absolute filius Dei adoptivus non sit: hæc autem longe diversa sunt, sicut aliud est, Christum absolute non esse creaturam, & ipsum in quantum hominem creaturam esse.

Verùm hæc solutiones nequaquam satisfaciunt, nec menti Concilii consonæ videntur. Nam Concilium ait Christum nequaquam esse filium adoptivum, quod idem est ac dicere, nullo modo esse filium adoptivum: Ac hoc falsum esset, si esset filius adoptivus, in quantum homo, & adoptione com unitate personæ in humanitate composita: Ergo & Minor probatur: Christum in quantum hominem, vel secundum humanitatem esse filium adoptivum, est esse aliquā ratione, & aliquo modo adoptivum. Item filiatio adoptiva cum unitate personæ in humanitate Christi composita, est aliquis modus filiationis adoptivæ: Ergo si Christus esset filius adoptivus secundum humanitatem, vel filiatione adoptivā, cum unitate personæ in humanitate composita, falsum esset dicere, ipsum nequaquam, seu nullo modo, esse filium Dei adoptivum.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Christum nullo modo esse filium adoptivum, & Christum aliquo modo esse filium adoptivum, sunt propositiones contradictoriæ oppositæ, & consequenter nequeunt esse simul veræ: At negativa vera est, utpote à Concilio asserta: Ergo affirmativa est falsa. Sed Christum in quantum hominem esse filium adoptivum, adoptione composita cum unitate personæ, est Christum aliquo modo esse filium adoptivum: Ergo Christum in quantum hominem esse filium Dei adoptivum, adoptione composita cum unitate personæ, falsum est, & à Concilio damnatum.

Confirmatur amplius: Licet juxta D. Thomam supra quæst. 16. art. 8. hæc propositio sit falsa, *Christus est creatura*, & contra negativa, id est, *Christus non est creatura*, vera sit; quia tamen hæc propositio est vera, *Christus ut homo est creatura*, falsa est ista propositio, *Christus nullo modo est creatura*. Ergo si Christus ut homo sit filius Deus adoptivus, adoptione composita cum unitate personæ, licet possit esse verum absolute, Christum filium adoptivum non esse, falsum tamen erit dicere, illum nullo modo esse filium adoptivum.

Deinde, Idem excluditur à Concilio filiatio adoptiva à Christo, quia adoptivus aliam significationem non habet, nisi quod Christus non sit filius proprius Dei: At si Christus ut homo esset filius Dei adoptivus, essetq; dabilis adoptio eum filiatione propria in una persona composita, filius adoptivus aliam significationem haberet: Ergo traditæ solutiones menti Concilii non congruunt.

Nec obstat ratio quam Adversarii in prima solutione insinuant, tum quia falsum est mentem Concilii adæquate esse ex errore opposito sumendam, sed potius debet colligi ex illius verbis propriè & rigorosè acceptis: verba autem ex Concilio adducta si in rigore accipiantur, ut debent, omnem modum adoptionis excludunt, ut jam ostensum est. Tum etiam, quia Concilia contra aliquem congregata, non semper solum illius errorem damnant, sed etiam per extensionem omnem alium cum illo connexionem proferunt: Concilium autem in Francfortiense, ut constat ex ejus verbis, censuit conjunctionem esse cum omni modo adoptionis distinctionem personarum,

A unde multoties repetit: *Unitas persona in Christo adoptionis tollit injuriam*. Adoptio nulla: habet significationem, nisi ut Christus filius proprius v. l. naturalis non sit. Ergo non solum damnavit adoptionem, ut à Felice & Elipando assertam; sed etiam omnem adoptionis modum, quia ex quolibet modo adoptionis, censuit colligi distinctionem substantialera personarum in Christo.

§. III.

Eadem veritas duplici ratione suadetur.

Varie ab Authoribus pro conclusione nostrâ adduci solent rationes, quæ non videntur efficaces, nos hic tantum duas, quæ præcipuæ sunt & fundamentales, breviter exponemus.

Prima sumitur ex definitione adoptionis, quæ à Theologis & Jurisperitis sic describitur: *Adoptio est gratia & liberalis assumptio personæ extraneæ ad hereditatem*. Quibus verbis duo ad adoptionem accessarii requiri denotatur, nimirum quod persona quæ adoptatur sit extranea, id est distincta ab adoptante, & quod non habeat per naturam jus ad illius hereditatem, sed duntaxat per ejus gratiam & benevolentiam. Unde sic arguo: Adoptio petit extraneitatem personæ, & carentiam juris ab intrinseco ad hereditatem: Sed Christus ut homo, non est persona extranea à Deo, quia non est personaliter distinctus à seipso ut in deitate subsistente, quare licet Christus ut homo possit dici suppositum extraneæ naturæ, non tamen persona extranea; sicut licet ut homo sit suppositum naturæ finitæ, & à divina distincta, non tamen est persona finita, nec à divina distincta. Item Christus ratione unionis hypostaticæ habet jus ab intrinseco ad Dei hereditatem, nimirum ad visionem beatificam, cum illa humanitati Verbo unitæ connaturaliter debita sit, sicut & gratia habitualis, virtutes infusæ, aliæque dona supernaturalia: Ergo Christus ut homo, filius Dei adoptivus non est. Unde D. Thomas in 3. distinct. 10. quæst. 2. art. 2. quæstionem 3. Christus nullo modo est filius adoptionis, quia ei competit secundum suam naturam, seu ex natura sua, secundum quam a Patre æternaliter nascitur, habere jus in hereditate paternâ, quia omnia quæ habet Pater sua sunt, ut dicitur Ioan. 16. unde hoc jus non acquiritur ei per gratiam advententem, ut possit dici filius adoptivus.

Secunda ratio, quæ præcedentem magis illustrat & confirmat, potest sic proponi. Filius naturalis non potest esse adoptivus: Sed Christus, in quantum homo, est filius Dei naturalis: Ergo adoptivus esse nequit. Minor assertur multoties ab Adriano Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ supra citata, & patet ex dicendis articulo sequenti §. 1. concl. 3. ubi ostendimus, Christum in quantum hominem, per gratiam unionis esse filium Dei naturalem formaliter: In quantum determinante non naturam, sed suppositum ut in illa subsistens, non reduplicativè, sed specificativè.

Major verò in qua est difficultas, multipliciter ostenditur. Primò quia ille qui adoptatur in filium, non secundum naturam, sed solo affectu conjungitur adoptanti, est enim adoptare, optare aliquem in filium, & velle ut sit filius, cum nō sit talis naturaliter, sed alienus & extraneus. Unde Concilium Francfortiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, pagina 15, columna 1. Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, quæ pater adoptione

Rer. 3

sibi